Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2945
Quelle:
Copyright:

Celsiss. *Sanblasianus* Abbas *Mart. Gerbertus* T. II. 1784. p. 79. cum *Praef. ad Piligrinum* Archiep. *Colon.* et *Prooemio*, quae etiam e *Codd. Tegernseensi* et *Mellic.* partim jam a Cl. *Pezio* T. IV. *Thes. Anecd.* P. 2. *col.* 69. producta in *Cod.* nostro desiderantur, qui statim sic incipit: *Autenticus protus constat ex prima specie diapente et ex prima specie diatesseron superius. Nonanoeane. Primum querite regnum dei. Differentia Prima. Seculorum Amen. Lychanos ypaton.* Antiph. *Ecce nomen domini.* Ant. *Angelus domini nuntiavit.* Ant. *In tuo aduentu erue* &c. Dolendum sane, doctissimum Editorem hujus *Cod.* notitia destitutum eum cum suis conferre non potuisse; cum enim in *Edit.* vix 6. *folia* conficiat, in *Cod.* ob exemplorum adlatorum abundantiam *foliis* 21. definitur. Librarius porro membranae parcus cum ad oram inferiorem, tum ad alia spatia vacua adjecit *1°. Lectionem de Vinculis B. Petri*, cujus autorem ignoro; incipit vero: *In diebus illis misit herodes rex manus — Quemadmodum sanctus petrus in carcerem missus sit ligatus duabus catenis — audiuit per ordinem dilectio uestra* &c. et finit: *et remunerationem uitę perpetuę consequamur. Per dominum nostrum* &c. *2do*. Narrationem fabulosam de *Andrea* Apost. *Matthaeum* Apost. e carcere urbis *Mermidonae* liberante et populos convertente hujus initii: *Igitur post illum dominicę ascensionis nobilem gloriosumque triumphum* &c. *3tio*. Catalogum *Pontificum Rom.* admodum mendosum usque ad *Benedictum*, qui VIII. est, cum ei addatur: *Qui ordinauit papenbergense cęnobium. IIII. Non. ian. 4to*. Dicta S. *Hieronymo* subposita, cur Horae canonicae cantentur. *5to* demum Missam *in Oct. Sancti Johannis Bapt.* &c.

IV. *fol.* 78. p. 2. *Incipit epistola bern* (onis) *augensis monasterii abbatis Ad arbionem* (Aribonem) *magontium archiepiscopum. de eo qualiter aduentus domini hoc anno celebrari debeat. quando natiuitas domini II. feria euenerit.* Initium: *Summe dignitatis apice sublimato ariboni archiepiscopo per quem in area domini* &c. Indicata jam *Cod.* DCCXCIII. legitur impressa in *Pezii Thes. Anecd.* T. IV. P. 2. *col.* 39. In praesenti vero *Cod.* ultima, quae legi possunt, verba sunt: *Quociensçumque natalis domini in II. feria uelut in presenti* — —. Ulteriora penitus extrita.

DCCCXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 181. f. per duas columnas charactere crasso scriptus, et auro coloribusque picturatus est *Liber Missalis* nulli, ut videtur, Ecclesiae peculiariter proprius. A *Dominica prima Adventus* decurrit usque ad *Festum Corporis Christi*; tum sequuntur *Gloria*, *Credo*, *Offertorium*, *Canon*, cui elegans Crucifixi Servatoris icon praemittitur, et in quo post Papam et Antistitem etiam 123